

*An codicilli ante testamentum facti, & te-
stamento sequente non confirmati,
valeant?*

Quo ad fideicommissa in iis relicta, valent: nec opus habent ut testamento confirmentur; sed satis est, si novissimâ testatoris voluntate non improbentur. §. *non tantum*. 1. *vers. sed Divi. Inst. de codicill.* ubi à voluntate non recessisse testatorem, apparebit, non, si constantem adhuc voluntatem declaraverit: (id ipsum enim confirmare esset) sed si nihil priori voluntati contrarium disposuerit. Idem, propter exæquationem legatorum & fideicommissorum, de qua in §. *sed non usque*. 3. *Inst. de leg.* dicendum erit de legatis, si quæ in ejusmodi codicillis scripta reperiantur: nisi ita scripta sint, ut inde appareat, testatorem non codicillos, sed testamentum facere voluisse, adeoque totum quod fecit, frustra ita fecisse, ut nec fideicommissa ex eo scripto valere possint: *exemp. l. illud enim*. 13. §. 1. *ff. de jur. codic. arg. l. ex testamento*. 29. *C. de fideicommiss.* Quo ad alia verò directò in eis scripta, (ut sunt libertatis datio directa. *l. libertates*. 43. *ff. de man. test.* tutoris datio. *l. 1. §. 1. ff. de confir. tut.* & legata, ut legata. §. *præterea*. 10. *in fin. Inst. de fideicommiss. hered.*) omninò ut valeant, confirmatione & quocunque voluntatis retentæ indicio opus habebunt. *d. §. 1. ibi, non aliter, & c. Inst. de codicill. l. ante tabulas. §. pr. ff. de jur.*